trem Regem habuit Elisabetha: Habuit & fratrem Regem Bohem. & Ungar. LADISLAUM: Habuit & 4. Filios Reges: 1. ULADISLAUM, Bohem. & Ungar. Reg. 2. Joann. Albertum. 3. Alexandr. 4. Sigismundum; omnes Reges Polon. sibi succedentes.

## *CARMEN ULRICI BOLLINGERI.*

*AT quo cantabo* CASIMIRUM *carmine Regem,*
*Ordine bis quarto qui numeratur Avus?*
*Hunc post fata patris Regem legêre Poloni,*
*Attulerant fratri Varnica bella necem.*
*Hic procul ejecit Mariani militis agmen,*
*Damna Poloniaci cum paterentur agri.*
*Omnia restituit Regnis ablata paternis,*
*Tartarico prædam victor ab hoste tulit.*
*Non tulit hostiles gladios inferre* RUTHENIS,
*Inq; Podoliaco bella movere solo.*
*Cum* POIEBRADIO *pacis nova fœdera fecit,*
*Hic ubi Glogovios Odera lambit agros.*
*Longævus natis regnorum sceptra reliquit,*
*Ut tres atque decem vixit Olympiadas.*

## ELISABETHA FIL. ALBERT. ROMAN. UNG. & Bohem. R. 8. Adavia paterna.

*AUstriaca generata domo præclaris* ELISA,
*Auxit progeniem Rex* CASIMIRE *tuam.*
*Hæc habuit Regemq; patrem, Regemq; maritum:*
*Et Regum genitrix, Regis & ipsa soror.*
*Prögenuit multam fœcunda puerpera prolem,*
*Signa quot in Cœlis orbita Solis habet.*
*Quattuor ex illis sceptrum tenuere paternum,*
*Et Scythiæ populos edomuêre truces.*

*Sparta-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [17] - uncounted